National Library of Australia Nan Kivell Calligraphic Collection MS 4052 series 3 Item 106.
Fragment, Psalter with Passion Readings written by Pietro Ursuleo of Capua.
https://fragmentarium.ms/overview/F-4ohi

Contents

The Gospel according to Matthew 26: 47-61.

The transcription follows the layout of the single column of 19 lines, and maintains the original punctuation and hyphenation of the text. Expanded scribal abbreviations are underlined. Text compared against the Clementine Vulgate.

Transcribed by R. Faunce, August 2018.

. . . [Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percu]tiam pastorem, et dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, precedam uos in galileam . Respondens autem petrus, ait illi . Et si omnes scandalizati fuerint in te: ego numquam scandalizabor . Ait illi iesus . Amen dico tibi: quia in hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis. Ait illi petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt . Tunc uenit iesus cum illis in uillam, que dicitur gethesemani: et dixit discipulis suis . Sede-te hic donec uadam illuc: et orem. Et assump-to petro: et duobus filiis zebedei: cepit con-tristari et mestus esse . Tunc ait illis. Tristis est anima mea usque ad mortem . Sustinete hic: et uigilate mecum . Et progressus pu-sillum: procidit in faciem suam, orans: et dicens. Mi pater: si possibile est: transeat a me calix iste . Veruntamen non sicut ego

[verso]

uolo: sed sicut tu . Et uenit ad discipulos suos: et inuenit eos dormientes . Et dicit pe-tro . Sic non potuisti una hora uigilare me-

cum. Vigilate, et orate ut non intretis intentationem . Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma. Iterum secundo abiit: et orauit dicens . Pater mi si non potest hic calix transire: nisi bibam illum: fiat uoluntas tua . Et uenit iterum et inuenit eos dormientes . Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abiit: et orauit tertio: eumdem sermonem dicens. Tunc uenit ad discipulos suos: et dicit illis . Dormite iam et requiescite. Ecce appropinquabit hora. et filius hominis tradetur in manus peccatorum . Surgite. eamus. ecce appropinquabit qui me tradet. Adhuc illo loquente. Ecce iudas unus de duodecim uenit: et cum eo turba multa: cum gladi-
[is et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi].

This work is licensed under a Creative Commons "Attribution-NonCommercial 4.0 International" license.